Jussit & expandi paprici jugera campi
Inque umbriferis excepto gramine sylvas
Frondibus, arboribus, quas rursum fructibus, hortos,
Vitibus uvarum claris dulcedine montes,
Fontibus & rivis, ut Thessala Tempea, valles,
Harum iucundo madefactas gramine colles,
Floribus innumeris, salvis ornavit & herbis
Terram, gemmiferis & terrae viscera venis,
Argenti magnis opibus donavit & auri.
Nec zonae desunt caelum terramque secantes,
Parte duae dextra veniunt, binaeque sinistra,
Quinta sed in media non est habitabilis aestu:
Extremae contra nivibus glacieque teguntur,
Ostendunt reliquae mistas cum frigore flammas:
Et sic mane dies & vespera tertius esto.
ti diei. Verum ne faciei pars ulla appareat orbis
Calva, & ne caecis sua desint lumina terris,
Addidit expansa fulgentia sidera caelo,
Ex quibus clara dies & nox dignoscitur atra.
Haec humanorum certissima signa laborum
Erudiunt homines, quae sint bona tempora, quaeque
Infortunati describant omina coepti.
Scilicet illorum (velut experientia monstrat)
Indicat aspectus virtutem, divitis atque
Signa refert messis, & tempora commoda longis
Commendanda solo Cerealia semina sulcis.
Inque assignant quemvis cum partibus annum,
Omnis & ex ipsis cognoscitur hora diei.
Principium Veris Aries dat, cancer et aestum,
Scorpius autumnum, Capricornus frigora brumae:
Partibus ex istis totus componitur annus.
Magna Pater Superum tandem duo lumina fecit,
Et medios inter non certa sede Planetas
Constituit Solem, qui fons dominusque diei,
Diffusis radiis nocturnas discutit umbras:
Sed, quam praefecit tenebrosae, Cynthia, nocti
Ultima perexcelsi loca tum possedit Olympi.
Sic fervescebant celso iam sidera caelo
Et sua per totum spandebant lumina mundum.
Et bene: Mane dies fuit hinc & vespera quartus.
ti diei. Sed ne forte suis animantibus orba creati
Ulla foret mundi regio, loca cuncta replevit:
Concessit nitidis habitandas piscibus undas,
Excepit volucres varias agitabilis ~~[illegible]~~ aër,
Omnibus his similes in vestrum crescite multos
Dixit, & ingenti numero crebescite in horas ~~[illegible]~~
Facto hoc: mane dies fuit hinc & vespera quintus.